

præcepta rei metallicæ hos aliosq; nostros libros studiose diligenterq; legat, aut de quacq; re consulat experientes metallicos, sed paucos inueni-
et gnaros totius artis. Etenim plerunq; alius fodiendi rationē tenet: alius
percepit scientiam lauandi, alius arte excoquendi confidit: alius discipli-
nam terræ metiendæ occultat: alius artificiose fabricatur machinas: alius
deniq; iuris metallici peritus est. At nos ut inueniendorū & cōficiendo-
rum metallorum scientiam non perfecimus, hominibus certè studiosis
ad eam percipiēdam magnum afferemus adiumentū. Verum accedamus
ad institutam rationem.

CVM semper fuerit inter homines summa de metallis dissensio, quod
alij eis præconiū tribuerent, alij ea grauiter uituperarent, uisum mihi
est, antequam metallica præcepta tradam, ueritatis inuestigandæ causa
rem ipsam diligenter expendere. Ordiam autem ab utilitatis quæstione,
quæ duplex est, aut enim quæritur, utilis nec ne sit ars metallica his qui
uersantur in eius studio: aut reliquis hominibus utilis ne sit, an inutilis.
Qui metallicam censent inutilem esse his, qui suum studium in ipsa collo-
cant, aiunt primo uix centesimū quemq; fodientem metalla, uel id genus
alia, fructus ex ea re capere. Sed metallicos, quia omnes suas opes certas
& bene constitutas committūt dubiæ & lubricæ fortunæ, plerunq; spe
falli, sumptibusq; & iacturis exhaustos amarissimā tandem uitam, & mis-
errimam degere. Verum isti non uident quantū distet doctus & usu pe-
ritus metallicus ab artis ignaro atq; imperito, hic sine ullo delectu & dis-
crimine fodit uenas, ille eas experitur atq; tentat: Sed quia inuenit uel ni-
mis angustas & duras, uel laxas & putres, ex eo colligit ipsas utiliter fodi
non posse: itaq; fodit selectas tantum: quid igitur mirum? rerum metalli-
carū imperitum damnum facere? peritum uero fructus ex fossione cape-
re uberrimos? Contingit idem agricolis. Nam qui terram arant, siccā pa-
riter & densam & macram, eiq; mandant semina, tantā non faciunt mes-
sem, quantam hi qui solum pingue ac putre colunt, & in eo faciunt semē-
tem. Cum autem multo plures metallici sint artis imperiti quàm periti, fit
ut metallorum fossio perpaucis emolumento sit, detrimentū afferat mul-
tis. Siquidem uulgus metallicorū, quod est cognitionis uenarum rude ig-
narumq;, non raro & operam & olcū perdit. Id enim magna ex parte so-
let accurrere ad metalla, cum uel propter magnū & graue æs alienū, quo
se obstrinxit, mercaturā deposuerit, uel laboris cōmutandī gratia relique-
rit falcem & aratrum. Quamobrem si quando incidit in uenas metallorū
aliorū uel fossilium fecundas, id bona magis fortuna accidit, quàm ali-
qua subtili animaduersione. Quod autem metallica multos auxerit diui-
tjjs ex historijs intelligimus, etenim inter scriptores antiquos constat ali-
quot respub. florentes, nonnullos reges, plurimos homines priuatos ex
metallis eorū uel ramentis diuites esse factos. Quam rem multis claris &
illustribus exemplis usus, in primo libro De ueteribus & nouis metallis
inscripto dilataui atq; explicauī, ex quibus exemplis apparet metallicam
suis cultoribus esse utilissimam. Deinde iisdem reprehensores dicunt me-
tallicæ quæstū minime esse stabilem, magnisq; laudibus efferunt agricul-
turam